



V, 54-95

V.a 56  
UP-97 pag 57-58 a  
B 5 Vol. II.

59 6

PROGRAMMA  
QVO  
IN PARTEM  
I. LIBRI ÆNEIDOS  
MODESTE INQVIRIT  
ET AD  
EXAMEN  
PRIMANORUM  
STEPHANEI NOSTRI  
QUOD  
PROXIMO IOVIS DIE ANTE ET POST MERID.  
HABEBITVR  
INVITAT  
CHRISTIAN, GODOFREDUS STRUENSEE, R.

---

HALBERSTADII, TYPIS LANGIANIS, MDCCCLXII.

PROGRAMMA  
GEOGRAPHICO  
IN PARTIM  
LITERATUROBIS  
MONTE MONTI  
CANTAB.  
EX MAXIMA  
PRIMORDIA  
SOCIETATIS  
GEOGRAPHICO  
PRO MONDVS DIE VNTETE POST MERCIO  
MAGNETICAE  
THERMATE  
CHRISTIANO-DOMINICUS STRUNSEER  
HALIBRATA TYPIS LANGIANIS MDCCLX



litteris sisv. omnibus, ni in apollinis si summo non bono  
etiam illis illa multe est est lev. illisq; ibidemq; est lev  
etiam illis sisq; oportet si in etiamq; isto omni m  
futuri supradictis p[ro]p[ter]is. s[ed] q[ui]d i[st]o monito le am  
emixim: m[od]estu[m] No s[ic] omni audire. libet alios am  
non erit vobis quoniam membra hisq[ue] autem m[od]estu[m] m[od]estu[m]  
b[ea]tissimi. Annib[al]e. A[nnib]ale. A[nnib]ale. A[nnib]ale. A[nnib]ale. A[nnib]ale. A[nnib]ale.

**V**irgilii Maronis divinam facultatem, car  
minumque ejus summam præstantiam,  
atque venustatem quotquot de his rebus  
iudicium terre possunt agnoscunt, atque  
uno ore fatentur. Quanti eius bucolica,  
atque georgica ab Horatio, cuius vnius iu  
dicio satis ad laudem commendari potuit, facta sint, ex ejus  
Serm. X. L. I. satis adparet. molle atque facetum  
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Et

*Et Aeneis, licet ipsi, si quibusdam auctoribus, qui ejus vitam scripserunt, fides habenda est, non satis fecerit; quam cremari moriens voluerit: tamen non *Augusto* modo, at quam acuto et gravi iudicii probata fuit; sed ita etiam in omnium, qui eorum, quae pulcre atque eleganter dicuntur, sensu moventur, admiratione fuit: ut eum plerique cum reliquis poetis, recentibus, atque antiquis, tum *Homero* adeo, poetarum principi, atque parenti, si non rerum, atque verborum splendore atque luminibus; venustate certe, atque concinnitate præferendum putarint.*

*Quod non volumus ita intelligi, vt in summo vate nihil vel reprehendi posse, vel reprehensum esse existimemus. Cum homo esset Virgilius; et in longo opere versaretur: quis ei somnum obrepisse mirabitur? humanamque incuriam maculas fudisse, quibus nemo iure offendatur: maxime cum morte præventus operi ultimam manum admouere non potuerit? Annulerant his nævis, quod temporum ratione confusa, Aeneas Didonem æqualem fecerit; quæ, si qua antiquitatib[us] fides habenda sit, ducentis ferme post eum annis vixerit. Alios quæ de classis Aeneas in marinas deas conversione L. IX. caputnr offendunt, quippe incredibilia prouis: et quæ cum poetica probabilitate constitere nulla ratione possint. Quid? ingeniosissimus non solum Franco-Gallicæ sed ferine omnium gentium poeta, Voltarius, non dubitavit affirmare, tum, ultimos Aeneidos sex libros remissius ab eo esse exaratos, tum, in summa re, totiusque operis ratione constituenda non leviter a summo vate esse erratum. Sed tamen non desuerunt, qui præstantissimum poetam excusarent,*

cularent, leuiusque, si quid humani passus sit, peccatum esse ab eo ostenderent: quibus, si quid iudico, facile omnes ad-sentientur; certe perpancos fore arbitror, quibus *Gallus* gra-vissimam adprobaturus sit accusationem.

Sed qui hæc vel defendi, vel excusari posse putq, idem, quoties primum *Aeneidos* librum legi, quæ de *Aeneæ* ad vr-bem Carthaginem aduentu a versu 415. commemorantur, talia esse putavi, vt mihi totus locus, et si luminosissimus et speciosissimus, falla, certe nimia luce radiare, curatusque expensus, et ad carminum gravissimas leges atque præcep-ta revocatus cum illis consistere non possè videatur. Diu dubitavi deberemne, quæ summo vate parum digna visa sunt cum lectoribus communicare. Cum enim nec antiquiorum, nec recentiorum, quantum quidem scio, interpretum fuerit quisquam, cui hæc carminis pars mendosa videretur; contra tuerint, qui mirati sint, qui magnis laudibus extulerint, qui denique perfectissimum lucis umbræque temperandæ exemplar putaverint: temeritas propemodum visa est, a tantorum virorum, quibuscum nullo modo comparandus sum, aucto-ritate recedentem, quod illi mirati sunt, improbare. Nec ad scribendum, quod subtimens facio, accessissim, nisi mihi per-suasissim, æquos lectores consilii veniam facile tributuros, cum quæstio a scholastica prolusione, qua *examen primanorum Stephani nostri* indicitur, non abludat, et in ejusmodi causis, non tam dicentium auctoritas, quam pondus atque vis argumentorum spectanda sit.

*Fingit autem poeta, Aeneam cum Achate nebula a Venere circum-*

circumdatum Carthaginem esse ingressum. Sic enim canit  
v. 416, 417.

At Venus obscuro gradientes aere lepsit

Et multo nebulæ circum dea fudit amictu

et paulo infra v. 442.

**Aeneas** fastigia sulpicit urbis;  
Intert se leptus nebula, mirabile dictu,  
per medios, miscetque viris, nec cernitur ulli.

Homerum et hoc loco lectus est Virgilius, ex quo uber-  
rimo fonte pleraque sua hausit: quæ pro ingenii magnitudine  
ita temperavit, miscuitque, ut non aliena, sed propria canere  
videatur; fuerintque, quibus, quæ ex Homero transtulit apti-  
us, quam ipse Homerus, contexuisse videatur. Quod vtrum de  
hoc loco valeat, dubito. Scient, qui Homerum extremis tan-  
tum digitis attigerunt, induci ab eo deos seu nubibus vehi, seu  
si opus sit, his involui, seu earum opera vti. Inter alia Paridem  
cum Menelaō singulari certamine depugnantem, imparē autem,  
et haud dubie interficiendum ab intestissimo adversario  
ex præsentissimo periculo nube opposita a Venere ereptum  
esse finxit; postquam liberare eum dea varie tentasset; Mene-  
laus autem ardenter instaret, nec ejus servandi alia ratio su-  
peresset. Describitur res gesta Iliad. L. III. et nubis præsidium  
v. 379-380.

**A'ντραγ'ο** (Menelaum puta) αὐτὸν επορχεσε κατακλαυσεν  
μενεανων

Ἐγχει χαλκειώ τον δ' εξηρπαζ' Αφροδίτη  
Ρεα μαλ', ωσε θεος, ἐκαλυψε δ' αρι νέει πολλη.  
Eodem

Eodem modo post, vrgente Diomede, Æneas ab Apolline  
nube tectus, et servatus est: Iliad. E. v. 344.345.

*καὶ τὸν μὲν μέτα ξεπον ἐγνωσατο Φοῖβος Απόλλων*

*χαλκην ρεφελη.*

Heic si duorum vatum comparatio instituatur præferendus Homerus esse videtur. Erat res eo deducta, ut Paris, quem tueri Venus debebat, nulla ratione, nisi luculentō, atque illustri miraculo salvus esse posset. Menelaus instabat impedimentis, quæ, quo minus Paridem interficeret, Venus obiecerat, magis inflammatuſ, exasperatusque. Paris raptabatur, quem Menelaus, cum gladius diffiliſſet, hasta iam iam erat transverberatus. Quare præſenti opus erat miraculo, si veller eum incolumem Venus servari, nec facile convenientius fangi poterat, quam nubes, quæ cum Menelai, tum reliquorum confectui euin eriperet. Certe fatendum est fabulæ partes egregie inter se esse contextas, sibique mutuo respondere. Jam videamus, vtrum Virgilius æque concinne vti potuerit nube ad deducendum Æneam Carthaginem? Mihi certe dubitandum videatur. Vti enim in eo laudandus est, quod liberius imitatus mest Homerum, quod Horatius suadet, art.p. v. 131-135.  
 Publica materies privati iuris erit, si  
 Nec circa yilem patulumque moraberis orbem,  
 Nec verbum verbo curabis reddere fidus  
 Interpres, nec desiles imitator in arctum  
 Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex  
 Ita esse puto in hac imitatione, quæ cum aliis carminum præceptis pugnant.

*Primo*

Primo idonea causa non est, cur miraculo tam illustri opus esset. Horatius recte præcepit

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus  
Inciderit. art. poet. 19.

hic autem nodus nullus est, non modo Deo vindice dignus. Nihil allatum a poeta, qvare Æneæ tuto atque libere Carthaginem ingredi non liceret. Dido enim hostis non est, sed amicissimo in Trojanos animo; qvos ejus cives non minus amant, atque suspiciunt, qvorumque res gestas in suis templis expresserant. Æneæ adeo socios amanter exceptos esse poetæ commemorat. Nemo eos moratur, aut detinet. Adductis ad reginam fit de injuria egredientibꝫ ex navi illata querendi potestas. Regina comiter respondet, sibiique eorum res curæ fore adfirmat. Certe non poterat fieri amantius.

Qvo ergo opus erat tam insigni in Ænea deducendo miraculo? Qyam adfert caulam

Cernere ne qvis eos, neu qvis contingere posset Molirive moram aut veniendi poscere causas ea parum idonea videtur. Cur enim cerni Æneam aut contingi poeta nolebat? Qvis Æneæ socios, qvi simul cum eo vrbem ingrediebantur, moratus est, aut detinuit? Qui cum continuo ad reginam ducerentur; Æneæ non minis certe contigisset, si conspectus ab omnibus in vrbem se intulisset. Arbitror satis adparere præter necessitatem illustre miraculum a poeta esse confitum. Vnum illud adjungam, poetam in sequentibꝫ ad illud nusquam respexisse. Clarissimi miraculi certe aliquis fructus esse debebat, qvi nuspian adparet. Æneas reginæ nec suspectus est, nec suspicendus

dus: quem colit tanquam heros, jam hospitem suum; non tanquam dei alicuius alumnū, præsenti miraculo ad se deductum. Et cum Aeneas postea divum iussa adferret, discessum mandantia: ridetur a Didone, vana eum adferre argente; quod parum probabiliter facit, si divina quasi manu ductus ad eam accelerat.

*Secundo ipsum adventus rationem modumque si considero: habere quædam videtur quæ secum pugnant. Fingitur Aeneas licet nube tectus cernere potuisse omnia; urbemque adeo ex montibus vicinis prospexit.*

Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi imminet, adversaque adspectat desuper arces. v. 423, 424. Quod quomodo fieri potuerit mecum omnes ignorabunt. Nubes utique, ne Aeneas conspici posset, faciebat: sed eadem non poterat non impedire, quominus, quæ circa essent, ab eo cernerentur. Sensit difficultatem poeta: quare addit illud mirabile dictu:

*sed vereor ut ea re satis sit excusat<sup>is</sup> Horatio verissime monenti*

Pictoribus atque poetis

*Quidlibet audendi semper tuit æqua potestas;*

*Sed non ut placidis coeant immixta; non ut*

*Serpentes avibus geminentur, tigribus agni, art. p. 49, sequ. et paulo infra art. p. 338 - 340.*

*ficta voluptatis causa sint proxima veris,*

*nec quocunque voler, poscat sibi fabula credi*

*neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.*

*Recte etiam quæri posse videtur, potueritne circumfula nebula conspici, nec ne? si cerni non potuit: qui potuit nebula esse? aut tegere Aeneam? novo hic miraculo opus esset. Si conspe-*

conspecta est: fecit profecto miraculum rei, ut homines con-  
sisterent, de nova re quererent, ingressumque Aeneae, quem  
ne morarentur Venus hoc miraculum ediderat, tanto magis  
impedirent.

Et quae in ingressu visa, atque lustrata esse ab Aenea com-  
memorat Virgilius, ea ad Horatiana præcepta relata speciosa  
potius, quam probabilia, naturaeque, quam imitari poetarum  
est, convenientia esse reperientur. Nec enim sibi latissimam  
videtur ab eo vitio, de quo monet Horatius

*Qui variare cupit rem prodigialiter unam &c. a.p.v.29.*  
Cum plura moneri posse videantur huic vitio adfinia: unam  
rem brevitatis causa paucis attingam: Operas et labores Car-  
thaginensium ita describit Virgilius

Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros  
moliriqve arcem, et manibus tubulovere saxa;

Pars optare locum tecto, et concludere sulco.

Iura, magistratusque legunt, sanctumque senatum:

Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris

Fundamenta locant alii, immanesque columnas

Rupibus exidunt, scenis decora alta futuris.

Convenietne nascenti exulum coloniae, quae ante septem an-  
nos deducta esset, theatrorum ibi alta locari fundamenta? Cartha-  
gini præsertim, quae his ludis non legitur tuisse delectata? Eo tempore? cum quadringentis annis post Thespis, Solonis  
æqualis, poemata, Horatio teste, plaustris adhuc veheret

Ignotum tragicae genus invenisse camœnae

dicitur et plaustris vexit poemata Thespis:

quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ore. art. p. 275-277.

et Aeschylus demum: personae pallaeque repertor honestæ  
modicis instravit pulpita lignis.

Pote.

Poteratne ignorare Virgilius, comœdias, tragœdiasque, quibus destinantur theatra, opibus otioque affluentium, imo ditfluentium urbium et oppidorum alumnas esse, non nascentium coloniarum: quae necessariis intentae de superfluis cogitare non possunt? Et cum a Pompeji liberto Romæ, horum ludorum, ad religionem pertinentium, studiosissimæ DCC propemodum annis a. u. c. primum stabile theatrum conderetur: (mobilibus Romani antea fuerant usi) certe parum commode finguntur Carthaginenses *ante magistratum lectum sanctumque senatum de exstruendis theatris cogitasse.*  
*Tertio: si exitum fabulae considero nimis tenuis atque exilis pro magnitudine miraculi fuisse videtur. Postquam enim circumtusa repente*

*Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum:*

*Restitit Aeneas, claraque in luce resulfit*

*Os humerosque deo similis:*

*Quis non exspectat, fore ut ad tantum et tam improvisum spectaculum terrore exanimati omnes exhorrescant conspecto  
 subito Aenea qui*

*cunctisque repente*

*Improvisus ait: coram quem queritis adsum*

*Troius Aeneas,*

*quod commutatis in marinas nymphas Aeneae navibus fa-*  
*ctum esse canit libr. IX. v. 123.*

*Obstupuere animis Rutuli: conterritus ipse*

*Messapus equis: cunctatur et amnis*

*Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.*

*Egregie lane & pro magnitudine rei! Hic autem nihil tale. So-*  
*ciorum & adstantium nemo obstupescit. Regina movetur,*  
*sed ita, ut continuo posset Aeneam longa oratione adpellare,*  
*quod certe leviorem motum fuisse indicat.*

*Hæc*

Hæc habui, quae de hoc Virgili loco iam disputarem. Supereft, ut Reverendissimos Scholæ nostræ Patronos atque conservatores, omnesque ad quos scholarum cura pertinet, sacrum ordinem, parentes nostrorum, ceterosque, quibus res scholastica cordi est, demisse et observantissime rogem, velint pro sua benevolentia primorum stephani nostri lustrationi, quae ioris die horis ante et post meridianis instituetur, interesse. Sensit schola nostra hoc præferrit anno Martis tot terras sextum iam annum misere vastantis, literarumque cultoribus fugam atque terrorem iniiciens vim atque acerbitatem; qua etiam factum est, ut actus oratorius, quem meditabamur, haberè non potuerit: cum major eorum pars, qui in academiam abeunt, abeunt autem decem adolescentes, quorum plerique satis instructi gradum ad altiora moliuntur, solito citius de abitu cogitarit; et non pauci ex ceteris, qui dicturi erant, imminentibus haud levibus periculis subducere se coacti de exarandis orationibus, quas habiti erant cogitare non potuerint. Sed eodem tempore insigni Reverendissimorum Patronorum munificentia schola nostra est recreata. Qui pro suo discentium industriam alendi, acuendi, et remunerandi studio, memorabilem pecuniae sumam emendis libris destinarunt, his, qui morum honestate & diligentiae laude inter ceteros eminent, distribuendis. Quam liberalitatem uti grata mente vineramus; docentibus enim haud facile ultra re magis consultur, quam discentium diligentiam incendendo: ita optamus ex animo, ut, quem sibi proposuit Reverendissimum collegium finem, eum diligentium industria confirmata atque aucta, indiligentium autem excitata abunde consequatur. Halberst. a. d. XVI. cal. maj. MDCCLXII.

80 A 6231

vol 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle  
004 585 895

3



Wohl nicht verloren





59 6

PROGRAMMA  
QVO  
IN PARTEM  
I. LIBRI ÆNEIDOS  
MÓDESTE INQVIRIT  
ET AD  
EXAMEN  
PRIMANORUM  
STEPHANEI NOSTRI  
QUOD  
PROXIMO IOVIS DIE ANTE ET POST MERID.  
HABEBITVR  
INVITAT  
CHRISTIAN. GODOFREDUS STRUENSEE, R.

---

HALBERSTADII, TYPIS LANGIANIS, MDCCCLXII.